



### COLLOQVIVM NONVM

*Persōnae: Faustīnus, Rūfus*

Faustīnus, pāstor Iūliī, abest ab ovibus suīs, quia ovem nigram in silvā quaerit. Ovēs sine pāstōre in campō errant.

Ecce Faustīnus cum cane suō ex silvā venit. Pāstor ovem nigram umerīs portat.

Canis lātrat: “Baubau!”

Ovēs canem audiunt et ad pāstōrem suum currunt.

Faustīnus ovem nigram in terrā pōnit sub arbore.

Ovis bālat: “Bābā!”

Pāstor ovēs numerat: “Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque.....”

Dum ovēs ā pāstōre numerantur, vir īrātus accurrit. Est Rūfus, qui parvam villam cum hortō prope silvam habet.

Rūfus īrātus baculum ante sē tenet et clāmat: “Ō improbe pāstor! Ovēs tuae in hortō meō sunt!”

Faustīnus: “Quid agunt ovēs meae in hortō tuō?”

Rūfus: “Rosās meās edunt.”

Faustīnus: “Ovēs nōn rosās, sed herbam edunt. Neque ovēs meae ā pāstōre suō abeunt. Quot ovēs sunt in hortō tuō?”

Rūfus: “Quattuor.”

Faustīnus: “Nōn meae sunt illae ovēs. Ecce ovēs meae, quae apud mē sunt. Numerus eārum est centum. Age, numerā eās!”

Rūfus ovēs aspicit, neque eās numerat.

Rūfus: "Hic centum ovēs nōn sunt."

Faustīnus: "Sunt centum. Nūlla ovis abest."

Ecce autem quattuor ovēs albae accurrunt! Post eās venit parvus  
canis īrātus, quī ūnam ovem dentibus petit.

Rūfus: "Ecce Persa, canis meus, quī cum ovibus tuīs venit."

mordēre = dentibus  
petere

Faustīnus: "Vocā canem tuum! Ovem meam mordet!"

Rūfus: "Persa, venī!"

Canis īrātus nōn venit, sed ovem mordet. Ovis, quae mordētur,  
bālat: "Bābaā!"

Iam canis pāstōris parvum canem videt et ad eum currit.

Persa sē vertit ab ove ad canem pāstōris, quī ante eum cōnsistit  
et dentēs ostendit.

Canis pāstōris lātrat: "Baubaubau!"

Parvus canis, quī magnum canem timet, nōn lātrat, sed ululat:  
"Uhuhū!" et ad dominum suum currit.

Ovēs quattuor, quae canem parvum iam nōn timent, laetae ad  
pāstōrem adeunt et ad eum bālant.

Rūfus: "Ovēs dominum suum amant. Nōnne tuae sunt?"

Faustīnus: "Nūllae ovēs meae iam sunt in hortō tuō."

Rūfus: "Sed vestīgia ovium tuārum in hortō meō sunt."

Faustīnus: "Et in collō ovis meae sunt vestīgia dentium canis tuī!  
Canis ille parvus tam malus est quam lupus!"

Rūfus: "Immō bonus canis est Persa. Canis meus ovēs nōn ēst."

Faustīnus: "Neque ovēs meae rosās edunt."